

altercationem controversia videatur admittere, sed quasi nuda et debilitata proponitur. nec tamen putes omnes species circumstantiae in themate omni posse reperiri, sed aliquando omnes, aliquando plerasque: at si, ut in suprascripto, paene omnis desit circumstantia, causam stare non posse.

Sunt et alia vitia tria, quae asystatas controversias faciunt, ut *κατ' ἰσάζουσιν*, cum ex utraque parte circumstantia eadem utique est et nulla ne
 375 parva quidem differentia discerni potest, ut 'vicini adolescentuli, qui speciosas uxores habebant, nocte alter alterum obvium habuit; accusant se invicem adulterii'; nihil est enim, quod non aequaliter ab utroque possit invicem dici. item *καθ' ἑτερομερίαν*, cum reo nulla defensio est et color
 10 facto probabilis non est nec controversiae, sed communis loci speciem obtinet, veluti 'decem iuvenes nuntiato bello digitos sibi amputaverunt: rei sunt laesae rei publicae'; nulla enim defensio facinoris invenitur. est etiam aporon, in quo iudex ferendae sententiae rationem explicare non possit, veluti 'petebat alter ab altero usuram quasi creditae pecuniae; ille velut
 15 depositam sine usuris restituere certabat. pendente iudicio lex de tabulis novis lata est; reposcit ille quasi depositam, hic quasi creditam retinet.' non enim perspicui potest, quid in sententia ferenda iudex sequatur, cum petitor interdum creditam, interdum depositam, reus autem nunc depositam, nunc creditam dicat. in omni igitur controversia perspicies se-
 20 cundum ea, quae supra scripta sunt, diligenter, num aut plures partes circumstantiae desint, aut similitudo interimat quaestionem, aut inclinatio partium reo auferat actionem, aut caligo iudicis causam disceptare non possit. et si ex his nullum inerit vitium, attende identidem etiam at-
 25 que etiam et inhaere origini quaestionis, id est intentioni et repulsioni.

Intentio est id, quod primum dicit qui movet litem, sive accusator sit sive petitor, ut est 'occidit patrem Sextus Roscius'; repulsio est 'non occi-